

Grotius verò Caligulam agnoſcit & Simonem Magum, mota in Eccleſia perſecutionis Authores, alterum vi, alterum præſtigis, utroſque verò Jerofolymitanæ everſionis, quam nomine diei Domini (i) deſignatam credit, præcurſores. Demonſtravimus in Commentario, Nerone & Simonem Magum typum eſſe, illum hominis peccati, qui myſterium jam operatur iniquitatis (k); alterum verò illius, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus (l). Judæorum verò in Romanos deſectionem exprimere gentes adverſus Romanum Imperium rebellaturas, ſicut & Chriſtianos Jeſu Chriſti & Eccleſiæ excuſſuros jugum (m); ac tandem Romanorum in Judæos bellum, Urbis ac Templi everſionem ſymbolum eſſe divinæ adverſus impios in orbis exitio animadverſionis [n]. Porro typi illi & figuræ tam longè abſunt, ut veritatem tremendi illius Judicii, quod expectamus, extenuent, ut confirmet potiùs ac magis magiſque afferent. Nihil eſt in Religione Chriſtiana magni alicujus momenti, cui inſigni aliquo Veteris Teſtamenti factio Deus non præluſerit. Ita dicitur Oraculorum genera, extremi Judicii veritatem aſſerentia, vaticinia nempe verbalia, & prophetica quadam facta. Verbis probata vaticinia legas in Scriptis Prophetarum, in Evangelio, & in Apoſtolo; prophetica facta ſuppeditat hiſtoria Joſephi, & de Judæorum bello Commentarii. Porro ſyſtema iſtud ſibi prorsus cohæret. Data eſt ſecunda hæc Epistoſta Corinthi, nonnullis à priori ad Theſſalonicenſes menſibus poſterior, anno 52. vel 53. J. C. & Claudii 13. Jerofolymitanæ everſionis tempus magis quam pro expectatione Theſſalonicenſium diſtabat; neque enim niſi poſt 17. vel 18. ab inde annis impletum eſt. Iniquitatis myſterium operabatur ſub Claudio Nero & Simon Magus, qui deinde impietatem ſuam exeruerunt. Nero in exordio Regni ſui bonus inter op-

timos Principes, ſub obtentu virtutis ſcælera per aliquot annos occultavit. Prodiit tandem, & myſterium iniquitatis Orbi patuit univerſo. Patuit & in Simone Mago (o), homine illo peccati, filio perditionis, qui extollitur ſuper omne quod dicitur Deus; itaut in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Sed hunc tandem Dominus interficiet, ait Apoſtolus, ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui (p). Poſt hæc Dominus in furore ſuo veniet, ut judicet eos qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati (q). Hæc in figurâ quidem ſpectanda erant in ipſa Jerofolymitanæ everſione; in re verò imminente, ipſâ tandem die poſtremi Judicii. Hæc potiſſimum præ oculis habebat Apoſtolus in 2. ad Theſſalonicenſes. Animis confirmat deſpondentes quosdam, quibus terrorem ingeſſerant falſi quidam prioris Epistoſtæ interpretes, aſſerentes in limine eſſe diem Domini, vel fortè aſſingentes illi Epistoſtam, in qua hæc omnia impudentiſſimè obtruderentur. Cùm vivâ voce hæc de re illos antea inſtruxiſſet (r), fuſius de illa agere in priori Epistoſta abſtinuerat (s); ſed ſuo illo ſilentio incommoda plura in gentem proveniſſe intelligens, fuſius & apertius rem totam proſequitur in præſenti. Hortatur, ut quas ab ipſo ſe auſerant, doctrinas, & traditiones tenerent (t), ac ſtrenuè perſecutiones, quibus pro veritate exponerentur, ſuſtinerent (u). Acutiùs, quam in priori Epistoſta, illos corripit, qui otio ſe totos permitterent, alienas in ſe ſuſciperent curas, curioſi, inquieti, ex alienis laboribus potiùs quam ſuo victum quaerentes (x). Notare homines ejuſmodi jubet, ex illorum conſortio ſe ſubducere, ut ipſi ſibi ſint horrori, ac de melioribus perſuadeantur. Sigillo ſuo Epistoſtam obſignat (y), monens ut diligenter ſigilli ejuſdem figuram obſervent, ut impoſtorum ſub Apoſtoli nomine Epistoſtas obtrudentium fraudes intelligerent.

i. 2. Theſſal. 2. 1. k. 2. Theſſal. 2. 7. l. Ibid. 2. 4. m. 2. Theſſal. 2. 3. n. Ibid. ver. 2.

o. 2. Theſſal. 1. 3. 4. p. Ibid. 2. 8. q. 2. Theſſal. 2. 12. r. 2. Theſſal. 2. 5. s. 1. Theſſal. 5. 1. 2. t. 2. Theſſal. 2. 14. u. 2. Theſſal. 1. 5. 12. x. 2. Theſſal. 3. 6. 15. y. 2. Theſſal. 3. 17. 18.

DISSERTATIO

AN S. PAULUS EPHEſI cum beſtiis pugnaverit?

Viri quidam Eccleſiæ Corinthi recens ad fidem converſi, Philoſophiæ Paganæ dogmatum plus nimio tenaces, ut mortuorum reſurrectionem crederent, vix poterant in animum inducere. Plures inde de fidei illo dogmate formabant quaſtiones, argumentorumque plexibus ſimplices quoſcumque Fideles illos implicabant. Certior de his omnibus factus Apoſtolus, reſutandis revincendiſque viris illis audaci-

bus, tranquillum Eccleſiæ ſtatum turbantibus nihil omiſit, non autoritatem, non argumenta è quinque potiſſimum ducta principiis: 1. Jeſus Chriſtus è mortuis, ait idem Apoſtolus, reſurrexit, quod fide certum tenemus; eſt autem ejus reſurrectio noſtræ pariter reſurrectionis pignus, exemplar & argumentum. 2. Si Chriſtus è mortuis nequaquam revixit, nos ergo mendaces teſtes habendi ſumus, vana eſt fides veſtra & in crimine adhuc fordeſcit. 3. Si nulla nos manet reſurrectio, quicumque

vitâ hæc deceſerunt, nullam habent ſpem reliquam; infelicem planè noſtram fortem deplemum oportet; ſi nullâ quàm hujus vitæ ſpe nos conſolamur. 4. Quid fiet de illis, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt? 5. Ut quid tandem nos damus in diſcrimina: Si (ſecundum hominem) ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt ſi mortui non reſurgunt? Poſtremo hæc Apoſtoli verba argumentum præbent Diſſertationi, neque enim certaminis hujus veritas ſat conſtat, ſilente maximè S. Luca, nihil eorum cæteroqui omittente, quæ S. Paulus Epheſi pro fide Chriſtiana ſuſtinuit; ſilentibus pariter è præſcis Patribus quatuor primorum ſæculorum omnibus, qui Apoſtoli illius geſta omnia traditione accepta ſedulo collegerunt. Negans hoc argumentum adeoque & per ſe imbecille, confirmat maximè pronâ ex ipſa geſtorum S. Pauli leſione concepta idea; neque enim abs re credi potuiſſet, ut quæcumque à Demetrio Argentario Epheſino ac ſociis iniqua in eâ Urbe ſuſtinuit Apoſtolus, hæc ille phraſi certaminis cum beſtiis designaret. Viri enim impotentes, brutales, & impii, quales Argentarii illi, meritò ſibi quidem vindicant, beſtiarum nomen, eâ planè phraſi, qua & Apoſtolus idem ſub emblemate Leonis Nerone cenſuit designandum (a); ſicut & de Cretenſibus effatus eſt; Mala beſtia, ventres pigri (b). S. Ignatius Martyr ad beſtias damnatus, commiſſum ſe dicit manibus decem leopardorum, ut Antiochiâ Romam deduceretur, à quibus anticipati quoddam ſupplicii genus ſubire ſe dicit, prolixumque certamen continuare, ab Urbe nempe Antiochiæ aduſque Romam. Porro certamina illa, beſtiæ, leopardi, nihil designabant aliud, quàm milites Martyris in itinere cuſtodes & deſultores. Ita pariter S. Joannes, & ipſe duodeſ Jeſus Chriſtus Judæos appellat genimina viperarum (c); ac Prophetæ injuſtos, violentoſque Reges ſuggillant nomine leonum, leopardorum, aquilarum, vulturum; ſicut & impiorum linguæ Pſalmiſtæ phraſi ſovent venenum aſpidum ſub labiis (d). Ne tamen ſententiam iſtam ſequamur, cogunt temporum circumſtantia ac præſcriptæ Chronologiæ leges; quibus inſtruitur, motam Epheſorum Argentariorum in Apoſtolum perſecutionem vertente anno poſt ſcriptam ad Corinthios priorem Epistoſtam contigiſſe, nempe anno 56. Quare Apoſtoli cum beſtiis certamen anno 55. initum eſt, quo ſcilicet anno nullam in Apoſtolum commotam perſecutionem ſub eo verborum emblemate designandam novimus. Eſt igitur ad literam Apoſtoli textus ille explicandus; ſi enim alicujus momenti adverſus hanc opinionem cenſendum eſſet ſilentium S. Luca, ſilet æquè idem Scriptori perſecutionem quancumque ante annum 56. agitatam. Vis proinde hæc negantis argumenti vel in utramque partem valere cenſenda eſt, vel in neutram. Fatemur quidem, Apoſtolum 1. Cor. 15. 30. 31. 32. ubi omnia exponit quæcumque

priori illo anno à ductâ Epheſi morâ ſibi contigerunt, hæc de ſe ſcribere: Ut quid & nos periclitamur omni horâ? Quotidie morior, per veſtram gloriam, fratres, quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Statimque continuat: Si (ſecundum hominem) ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt? &c. Verum ſi totum percurratur caput 19. Actuum, geſta omnia S. Pauli Epheſi verſantis anno 55. complectens, nihil occurreret, quàm Apoſtolicis laboribus par fructus reſpondens, Dei per illum prodigia, quorum pellectu tractæ undique ad fidem gentes; donec tandem excitatam in ſe Demetrii Argentarii perſecutionem declinare, factâ ab Urbe ſecefſione, Apoſtolum coactus eſt. Cùm itaque S. Paulus in eo Epistoſtæ capite veluti ſupplementum adſciat eorum, quæ in Actis prætermiſſa ſunt, conceptiſque verbis exprimat, luſtam ſe cum beſtiis Epheſi ſuſtinuiſſe; cur teſtimonium ejus ad literam non recipiatur, nihil eſt. Porro Textus iſte pronus eſt ad eam hanc ſignificationem, ut in alium ſenſum detorque illud nemini ſuccurreret, niſi eâ invaleſcente perſuaſione, S. Lucam nihil è geſtis Apoſtoli majoris momenti prætermiſſiſſe; quod tamen veritati prorsus non congruit. Ipſe enim Apoſtolus plura in Epistoſtis ſuis identidem de ſe commemorat, quæ S. Lucas imprudens omiſerat; nolente Deo divinæ providentiæ ſua conſilio, ut ab alio illa quàm ab ipſomet Apoſtoli reſcirem. Ita e. g. de raptu S. Pauli in Cælum nihil habet S. Lucas; ſed teſtimonium de illo exhibet Apoſtolus 2. Cor. 12. 2. 3. 4. ſicut etiam nonniſi ipſo de ſe narrante ſcimus, obitas ab ipſo prædicatione Pontum, Thraciam, Illyricum, & Galiliam (e). Quis reprehentum à S. Paulo Petrum Antiochiæ, niſi ipſe Paulus Galat. 2. 11. commemorat? quis ſecundum ejuſdem Pauli iter Epheſo Antiochiam circa ann. 55. niſi idem Paulus ſubobſcurè 1. Cor. 12. 14. & 13. 1. (f)? quis memorat alius ſcriptas ab ipſo varias ad varias Eccleſiæ Epistoſtas; traductum ad fidem Oneſimum, cùm ipſe Paulus Romæ in vinculis verſaretur, datas circa idem tempus literas ad Philemonem & ad Philippenſes; naufragium illud ingens, quo integrâ nocte dieque in mare jaſtus eſt (g); tria illa naufragia quæ pertulit (h); flagra quinque à Judæis tolerata (i)? Nihil ergò è S. Luca ſilentio certi adverſus hanc hiſtoriam deducitur. Quare literam Textus ſtoriam retinendam, in loco maximè, ubi ſtilus ſimplex nihil minus quàm metaphoram audacem ad eam & inſuetam expectare Lectores admonet. Quid enim audacius quàm nomine pugne cum beſtiis designare luſtam cum adverſariis? At enim S. Paulus ſilet prorsus hanc cum beſtiis Epheſinis luſtam in ſecunda ad Corinthios Epistoſta, mala omnia enumerans, quæ pro fide tolerare coactus eſt. Id quidem ultrà fatemur; ſed numquid non ſatis eſt ſemel de illa in priori ad Corinthios 15. 5. 10. feciſſe ſermonem? Numquid modeſtiſſimus vir hanc virtuti ſuæ vim inferre cogebatur, ut iterum decora illa

o. 2. Theſſal. 1. 3. 4. p. Ibid. 2. 8. q. 2. Theſſal. 2. 12. r. 2. Theſſal. 2. 5. s. 1. Theſſal. 5. 1. 2. t. 2. Theſſal. 2. 14. u. 2. Theſſal. 1. 5. 12. x. 2. Theſſal. 3. 6. 15. y. 2. Theſſal. 3. 17. 18. a. 2. Timot. 4. 17. Liberatus ſum de ore leonum. b. Tit. 1. 12. c. Matth. 3. 7. d. Pſal. 13. 3. & 139. 4. &c.

c. Rom. 15. 19. f. Vide D. Tillemont. not. 41. in S. Paulum. g. 2. Cor. 11. 25. h. 2. Cor. 11. 25. i. 2. Cor. 11. 24.

sua repeteret? Ad hæc, facile lucam illam tacite infnuant verba 2. Cor. 1. 8. Non volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, qua facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut taderet etiam nos vivere.

Genuina facile hujus silentii ratio inde repetenda, quod nulla memorabilis consecutio ex eo supplicio deducta sit; forte enim Apostolus Judicis sententiã ad supplicium damnatus, civitatis tamen Romanæ, quo fruebatur, privilegio immunis ab eadem poenã reipsã declaratus fuit. Animadversum est enim, Civium Romanorum jus assertum fuisse, ne simili perirentur supplicio (k). Nisi forte malueris aliam quamcumque ejus rei assignare rationem, ne exponeretur feris; sive expositum ab illis læsum non fuisse, uti divino prodigio factum esse interdum cum SS. Martyribus fat novimus (l). Quod præ oculis habens S. Ignatius in Epistola ad Romanos scribebat: Utinam fruar bestiis mihi paratis, quas & opto veloces mihi inveniri, quas & blanditiis demulcebo, ut citius me devorent, non ut quosdam veritatem non attigerunt. Sed & si ipsa volentem nolint, ego vi adigam.

Accidit interdum, ut expositi feris homines primos illarum incurfus vel illesi, vel levi tantum relato vulnere sustinerent; tunc autem ante finitam lucam manu Gladiatorum ad eam rem destinatum perimebantur, quemadmodum de S. Perpetua & Felicitate cæterisque Africanis martyribus legimus in Actis; sive ad aliud spectaculum reservabantur, uti de S. Blandina Martyre Lugdunensi memoriam proditum est. Idem & cum Apostolo factum non inverosimiliter suspicamus, qui cum in discrimen ejus supplicii venisset, scribere unque poterat ad Corinthios: Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt.

Nicephorus Callistus laudat in eam rem Librum vetustissimum inscriptum: Itinera S. Pauli (m); fert autem Liber ille, Apostolum Ephesi versantem tantã eloquentiã viãd populum verba fecisse, ut Hieronymus Principem ibi locum obtinens illum benè quidem & discretè dicere, sed non pro temporis opportunitate, testatus fuerit: sed asperiora consilia secutum populum Apostolum illum catenis oneratum, arctaque inclusum custodiã bestis mox exponendum servasse. Statã ad supplicium die, deductum in illum Leonem immanem corpore, & ferociã non imparem. Sed vix deductam bestiam & impetu irruentem, ad primum viri sancti aspectum, flexam ad obsequium, cecidisse venerandam ad pedes, non dissimile exemplum aliis demum & aliis productis feris sequentibus. Ad hæc, ingruentem subito ingentem turbam savam adè grandinis procellam excussisse, ut opprimeret plurimos, Hieronymi verò Urbis Præfecti utramque aurem rescinderet. Quibus malis revocatum ad saniora virum Fidei victas dedisse manus. Tandem Leonem, qui Apostolo pepercerat, in vicinos montes evasis-

k Vide Baron. ann. 55. n. 7.

l Vide Act. S. Taraci & sociorum c. 10. & Euseb. hist. Eccl. 1. 8. c. 7. p. 299.

m Hist. Eccl. 2. 2. c. 25.

se; Apostolum verò rectã contendisse in Macedoniam.

Nec est quoddam sinistra aliquid in veritatem hujus historiã, addit Nicephorus, & S. Luca silentio deducamus. Lazari resurrectionem certam admittimus, quamvis à S. Joanne tantum, silentibus cæteris, referatur. Singuli Scriptores Sacri peculiaribus quædam referunt ab aliis omisa. Porro opus illud, unde hanc historiã Nicephorus deduxit, & minoris esse per se auctoritatis fatemur, & à Nicephoro licet adoptatum nihil propterea habere, quo persuadeat. Liber Itinerum S. Pauli vetustissimus est; adèd ut mentio de illo occurrat apud Origenem (n), Tertullianum de Baptismo l. 1. c. 17. S. Hieronymum (o), & Eusebium (p); neque enim nisi unum eundemque credo Librum Acta Pauli & Itinera ejusdem. Opus illud proculum piã quadam in Apostolum fraude, melius quam obsequio, Sacerdotis cujusdam Asiã, refert Tertullianus. Hujus criminis, addit S. Hieronymus, convictus Author, à Sacerdotio statim amotus est. Nihil ego moror Veteris hujus Scriptoris cæterorumque ejus fidem sequentium testimonium; suspicari tamen licet, sive textus hujus, quem executimus, lectionem, sive deductam ad eam usque ætatem traditionem Scriptorem hunc ad describendam lucam Apostoli cum bestiis induxisse.

Suppetunt cæteroque majoris fidei & auctoritatis in nostram hanc sententiã documenta. S. Chrysostomus in priorum Epistolam ad Corinthios scribens hom. 40. nihil allegoricum in loco illo Pauli subodoratur; ex quo planè intelligimus, simplicem & literalem interpretationem probasse. Et in illa verba, secundum hominem, perhibet, Deum eduxisse Apostolum suum è discrimine, in quo certus illum manebat secundum hominum opinionem interitus. Certum igitur constituit vir sanctus, Apostolum divino prodigio à nece servatum. Luculentius asserit Theodoretus in 1. Cor. 15. 32. Apostolum, ita disserit: ad bestias, divino prodigio liberatum fuisse. Pelagius in suo Commentario in Epistolam primam ad Corinthios duas innuit sententias; quæ de lucã cum bestiis locum interpretatur, & quæ cum adversariis pugnam verbis illis designatam tuetur. Ad dicit, plura in Epistolis S. Pauli historica facta occurrere, frustra in Actis querenda. Primasius Commentarium illum Pelagii S. Hieronymi esse, juxta receptam eã ætate persuasionem, ratus, non sententiam ejus tantum, sed verba penè describit. Hilarius Diaconus Ecclesiã Romanã, Ambrosiaster vulgò dictus, quod ejus Opera S. Ambrosii nomen præterierint in impressis, Apostoli verba illa ita paraphrasticè exponit: Si secundum humanum sensum bestiis offerri, mori non timui, nihil profeci: sed non hoc est, quia certus de promissa vita non solam non timui, sed & libenter bestiis offerri se passus est (q).

Ita Textum Apostoli interpretati sunt Veteres; & R. P. Alexander, quanquam aliqui allegoricum sensum defendens, in-

n Origen. t. 21. in Joann. p. 298. Edit. Huet. Item l. 1. de Principiis. o De Scriptore. Eccles. in Luc. p. Hist. Eccl. 1. 3. c. 3. & 25.

q Ambrosiaster in 1. Cor. 15. 32.

genè tamen fatetur in 1. Cor. 15. 32. Hanc tamen verba, Ad bestias pugnavi Ephesi, proprio non metaphorico sensu antiqui Interpretes intellexerunt. D. Tillemontius, cujus inelyta eruditio pariter & circumspectio est; nostram hanc sententiam acriter defendit contra Baronium, & Estium adversariorum opinionis assertores (r). Evincit ille Græcum Theionachein, quo utitur Apostolus, non significare tantum certamen ultrò cum bestiis ininitum, uti Athleta solebat, quod alioquin indignum Paulo viro Christiano & Apostolo fuisset, cum nec ingenium Paganum deceret, sed etiam rectissime ad bestias raptari, quomodo factum non semel novimus cum Christianis, facilegii, uti quidem dicebatur, reis (s). Christiani enim onerabantur invidiã eorum omnium; quæ in Republica sinistra acciderant. Si enim, ait Tertullianus Apostolus c. 40. Tiberis ascendit in mania, si Nilus non ascendit in arva, si Calum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem, tantos ad unum.

Observaverat Baronius, bestiarum supplicium, quod à Cive Romano fuisset alienum, in Apostolum Paulum decerni nequaquam potuisse. Respondit D. Tillemontius; damnari illum faciliè quin & subire supplicium illud potuisse, quemadmodum Philippis in Macedonia flagris cæsus fuerat, licet Romanæ Civitatis prerogativã ab illis exemptus. Notat insuper factum non semel, ut Provinciarum Præsides privilegium illud nequaquam assertum vellent Christianis, humani generis adversariis, & prerogativã omni multandis. Luculentum ejus rei exemplum præfert S. Attalus Martyr Lugdunensis, & Romanus Civis, quem gratificaturus populo Præsides ad bestias eduxit.

Præter Veteres in Epistolas Pauli Interpretes supra laudatos, suppetunt etiam alii plures Scriptores & scientia & vetustate graves, pro nostra sententiã laudandi (t) Tertullianus in Libro de resurrectione carnis c. 48. ita disserit: Quotidie morior, utique periculis carnis, per quam & depugnavi ad bestias Ephesi, illas scilicet bestias Asiaticas præfura: sunt igitur bestie Ephesinæ per Tertullianum mala in Asiã tolerata; sed metaphoricã hac interpretatione literalem alteram non excludit, namque in Libro de Pudicitia cap. 22. hoc ipso testimonio utitur, ut S. Paulum inter Martyres accenset; quod unicuique ex ejus Commentatoribus satis fuit, ut Tertullianum in sententiã nostrã patronum assereret.

Nostras etiam partes tueri visus est S. Cyprianus (u), illis de Apostolo verbis: Post cavere me sæpè repetitum, post flagella, post bestias: circa omnia mitis & humilis perseveravit. S. Hilario eadem probantur (x). Edithisne Regis Paulus, cum in theatro spectaculum ipse esset, Christo Ecclesiam congregabat?

Interrecentiores Interpretes nostras partes tuerentur Cajetanus, Cornelius à Lapide, Lutherus, Vorstius, Pifactor, Zegerus, alique nonnulli. Sed rationes nos magis

r Tillemont. not. 40. in S. Paulum.

s Lege sexta ad legem Juliam peculatis & de sacrilegiis.

t Euseb. 1. 5. c. 1. Hist. Eccl.

u Epist. 6. Edit. Pamellii.

x Hilari. in Aux. p. 121.

Scriptorum quàm Scriptores ipsos quærimus; cum maximè fateamur oportet, Commentatorum planè majorem partem aperte negare Apostolum in amphiteatro Ephesino bestis expositum spectaculum sui fecisse. Quamquam inter postremã hujus sententiã assertores non satis convenit; Occumenius enim e. g. Remigius Lugdunensis sive Antistodorenensis (y), (non enim satis constat unde esset) S. Thomas, alique nonnulli locum exponunt de persecutione in Apostolum Ephesi versante à Demetrio Argentario commotã (z); sed tum multum illum post scriptam priorem ad Corinthios Epistolam excitatum supra animadvertimus; ex quo systema illorum prorsus evertitur. Exponunt alii Textum de Viris impiis, Hæreticis, & beluina ferociã savientibus, à quibus plura in Apostolum irrogata, ut Apostolus ipse 2. Cor. 8. 9. conqueritur: Non volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, qua facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut taderet nos etiam vivere. Ita tenent Baronius ad ann. 55. num. 7. Estius, Grotius, Heinsius (a), Ligfootus (b), Calovius (c), Suicerus [d], Bafnage, Beza, Hammondus, Deylingius, & inter Antiquos Sedulius, Scotus, Lanfrancus.

Sed antequam Dissertationem claudamus, operæ pretium me facturum arbitror, si varia certaminum cum bestiis genera paucis exponam, quibus lux Textui, quem discutimus, affundatur. Græca vox Theionachein, qua utitur Apostolus, sonat ad literam, Cum bestiis pugnare; cujus generis homines Latini vocant Bestiaros, Græci Epithanaticus, Terionachous, Parabolous, seu potius Parabolanus. Triasunt ejusmodi hominum genera: alii roboris & agilitatis suæ specimen daturi, ultrò se certamini exponebant; alii mercenariam ad id locabant operam, qui proinde tanquam vilissima hominum capita mercimonium de vita facientes habebantur: Qui se ob aliena gratia voluntatem nundinati sanguinis iacturam ad mortis spectaculum vendunt. Tertii tandem generis homines referebant fontes illi, qui bestiis exponebantur; interdum ab eorum insulsiibus defendere se criminosis illis permissum, ita tamen, ut à morte non extimerentur; tandiu enim prorogandum erat illis certamen, quandiu bestis non succumberent. Si quis verò salvus incoluisset post spectaculum restaret, ad alterum reservabatur.

Certaminum primi generis reliquie manent in Ludis taurorum, hodie usque in Hispania celebratis; cum scilicet viri interdum principes coram Rege cæterisque spectaculum sui præbent, cum tauris ludantes. Nec ablundunt certamina cum bestiis in Regno Mogorii solemnia, in quibus viri principes & virtutis suæ specimen exhibent, & viam sibi ad summos honores struunt. Legimus in Historia Francorum (e), Pipinum Brevem Caroli Martelli filium, ac deinde Galliarum Regem, cum olim certamen bestiarum spectaret, fu-

y Remig. Antistod. Biblioth. PP. 1. 8.

z Act. 19. 23. &c.

a Exercit. Sacr. fol. 414. b Hor. Hebr. c Calov. in hunc loc. Cor. 15. 32. d Theaur. Eccl. 1. 1. p. 1399.

e Firmic. 1. 8. c. 13.